



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 102. Exequiæ pro Carolo V. Augustæ Vindelicorum celebratæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI remoraturum inquebat Cæsar. Ad hæc
A.C. 1559. Legati in responsis dabant, quod Regi
 suo Domino cuncta, cum nullum eis hæc
 super re mandatum dedisset, relaturi
 essent: interea vero peterent, ut alia
 congrua ratione Regis benevolentia
 compensetur. Id cum promitteretur,
 Legati abiire cum magno honore di-
 missi. Postea plures Principes Cæsari
 validis rationibus proponebant, quod
 magis conduceret, hæc tres urbes Fran-
 ciæ Regi cedere, quam novo bello sese
 implicare, insuper hi iidem Principes
 speciatim Legatis significari volebant,
 quod Ferdinandus in suo responso eis
 dato, ut suum affectum testatum red-
 deret, de restituendis tribus hisce urbi-
 bus mentionem facere voluerit, quin-
 imo etiam si hæc restitutio non fieret,
 nihilominus nec Imperator, nec Impe-
 rium propterea Regis amicitiam missam
 facerent, sed potius eandem conser-
 vare satagerent, hinc inter eos conven-
 tum, ut quantocius ad Cæsarem solem-
 nis decerneretur legatio, cuius Princi-
 pes erant Cardinalis Augustanus, &
 Wirtembergensis Dux.

§. CII.

*Exequiæ pro Carolo V. Augustæ
 Vindelicorum celebratæ.*

In hisce comitiis prima Principum cura Sæcul XVI.
A.C. 1559.
 eo abibat, ut exequiæ Carolo V. Cæ-
 sari perfolverentur, quæ etiam ingenti
 pompa fuerunt celebratæ, nam funeri in-
 tererant præter Imperii Principes, & Or-
 dines ex tota fere Europa Principum,
 ac Procerum legati cum innumeris
 pene Optimatibus, ibique habebat ora-
 tionem funebrem Ludovicus Madrutius,
 qui postea Cardinalis, cedente Christo-
 phoro Madrutio suo Patruo, Tridenti-
 num Episcopatum obtinuerat: peractis
 vero hisce solemnibus Principes conven-
 erant de Religionis negotio acturi, ac
 præprimis quidem Wormatiensis collo-
 quii acta coram Imperii Ordinibus pu-
 blice recitata sunt, ex quibus cum nulla
 spes reconciliationis cum Protestantibus
 affulgeret, Ferdinandus Cæsar se Oe-
 cumenicæ Synodi celebrationem pro-
 curaturum pollicitus est, atque clementi
 admodum, & moderata oratione ab
 eis postulavit, ut sese huic Concilio sub-
 mitterent, eoquod hoc unicum esset
 populos conciliandi medium: Insuper
 eisdem promisit, in hac Synodo res ita
 esse disponendas, ut benignius excipe-
 rentur in hoc Concilio, quam in illo,
 quod sub Paulo III. Tridenti inchoatum
 ac regnante Julio III. interruptum fuit. Ad
 hæc Saxonix Electoris, ac Principum
 eidem conjunctorum Oratores responde-
 bant,

Sæcul. XVI.
A C. 1559
bant, quod per Synodum a Papa convocandam nulla concordiae spes esset, sed ipsimet Concilio in Germania celebrando nequaquam oblucentur, dummodo legitimum, ac liberum, nec a Romano Pontifice, sed a Cæsare, indicatur, nec eidem Pontifex tanquam Præses, vel Judex intersit, sed partis judicandæ locum teneat, seque Concilio submittat, atque Prælati, & Theologis jusjurandum, quo eidem obstricti sunt, remittat, eo fine, ut libere, & citra metum suas sententias edicere valeant.

§. CIII.

Protestantium responsa ad propositionem de Synodo celebranda.

Thuan. hist.
l. 27. n. 4.
His addiderunt Protestantes: volumus etiam, I. ut pro norma judicii sit sacra Scriptura, ac solum verbum Dei, rejectis traditionibus humanis, consuetudinibus cum Dei Verbo pugnantibus, & Romanæ Ecclesiæ consensu: II. Theologi, qui confessionem Augustanam amplectuntur, non solum audiantur, sed in controversiis decidendis sententias dicant, eisquæ idonee caveatur, ut non tantum secure ad Synodum accedere possint, sed etiam libertas illis ex decreto Augustano concessa citra fraudem salva maneat. III. Capita controversia non